In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Ladislaus dei gratia dux Opoliensis Welunensis et Russie
Notificamus tenore presencium universis quibus nosse fuerit oportunum, quod inspectis fidelibus obsequiis fidelis nostri dilecti Benconis
de Kuchar nobis hucusque exposita sollicitudine exhibitis et in futurum [illegible] exhibendis et quod idem Benco cum uxore
et pueris suis residenciam personalem facere tenebitur in dicta terra nostra Russie, propter eandem ipsi Benconi [illegible]
sibi suisque heredibus et legitimis successoribus villas nostras Zalukwy et [illegible] [illegible] in districtu Lemburgensi
situatas cum omnibus ipsarum utilitatibus fructibus proventibus censibus redditibus emolumentis et aliis obvencionibus
universis eo iure et dominio quibus ipsas soli hactenus habuimus tenuimus et possedimus, prout ipse eciam in suis li-
mitibus circumferencialiter sunt distincte, videlicet agris pratis campis pascuis silvis nemoribus quercetis
dumetis virgultis mericis mellificiis piscinis lacubus paludibus aquis et earum decursibus molendinis pis-
caturis et aliis pertinenciis et appendiis universis iure feodali damus et confirmamus donacione perpetua et inviolabili [illegible]
ter possidendas tenendas habendas utifruendas donandas vendendas obligandas commutandas alienandas et in
usus suos suorumque heredum et successorum legittimorum beneplacitum convertendas prout sibi et eisdem melius [illegible]
et convenientius videbitur expedire. Verumtamen in predictis villis de quolibet fumo seu qualibet domo duos grossos latos
vel quatuor parvos pro censu camere nostre singulis annis in festo beati Martini episcopi percipiendos nobis et nostris
posteris perpetue reservamus. Preterea vero idem Benco seu heredes et successores legittimi cum una hasta et duobus
sagittariis quando et quociens nobis oportunum fuerit et necessitas ingruerit iuxta consuetudinem aliorum nostri
terrigenarum nobis et nostris posteris tenebitur deservire. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus
appendendum. Actum et datum Lemburg in crastino Nativitatis beate Marie virginis. Sub anno domini millesimo
trecentesimo septuagesimo quarto, presentibus hiis dominis Jeskone Kmitha, Jeskone Kustin, Petro Bruni, Dobeslao
Malaski de [illegible], Jeskone de [illegible], Andreaschone, [illegible] Sudarowicz et Iohanne de Glogovia cancellario
curie nostre, [illegible] [illegible] in curia et aliis quampluribus nostris fidelibus fidedignis.

1374 VIII X^a Opolski

10 [illegible] przyjęty

1374